

# DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

# FEBRI PUERPERALI

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAE-  
SIDIS ET DIRECTORIS SPECTABILIS DOMINI DECANI AC  
CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM, PRO DO-  
CTORIS MEDICINAE GRADU RITE OBTINENDO, IN ALMA  
AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM  
UNIVERSITATE HUNGARICA

CONSCRIPSIT

MAXIMILIANUS SCHAF.

HUNGARUS VAG-UJHELYNO NITRIENSIS

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.

Thesae adhaec defenduntur in Palatio Universitatis  
majori die Julii 1834.

---

PESTINI,

TYPIS LANDERERIANIS.

# **FEBRIS PUERPERALIS.**



**F**ebris puerperalis, febris lactea maligna puerperarum, febris putrida seu maligna puerperarum, febris humoralis nervosa, febris miliaris nervosa, peritonitis puerperalis. Kindbettfieber, Wochenfieber, Nessfieber. Gyermekágybeli hideglelés fièvre des accouchées, entérite aegue a la suite des couches — puerperal peritonitis, puerperal fever of lying-in-women etc.

Vix ullus in vasto morborum regno datur morbus, de cuius, natura, decursu, exitu, tractandique methodo ab antiquissimis jam jam temporibus artis nostrae cultores adeo diversam fovebant opinionem, uti de morbo, quem considerare volumus, febre puerperali.

Ipsè Hippocrates jam morbum cognovit. (lib. 1. Sect. 3. et lib. 3. Sect. 1. et 2.)

Eduardus Strother, uti Hulmes refert, primus fuit, qui morbo huic puerperal fever nomen dedit. Debita tamen huius morbi descriptio conaminum recentiorum medicorum productum est.

Natura specifica febris puerperalis in peculiari statu puerperae fundata est; ideo huic attentionem nostram ante omnia obvertimus.

Quodsi tempore graviditatis in organis sexualibus mulieris processus vitalis exaltetur; quodsi ex hoc incremento vitae sexualis (per consensum et antagonismum) in universo organismo speciales et singulares determinationes introducantur, quae praecipue in systemate reproductivo, et gangliorum abdominalium in puerperis necessario propriam horum organorum praedispositionem in morbos singulares producant; quodsi sub maxima

ista vitali tensione tempore partus doloribus intrantibus integrum sistema nervosum magis minusve commoveatur, systemate sanguifero pariter exorbitante et organa centralia sanguine obruantur, et sic status introducatur stimilis illi, qui ex nimia systematis nervosi nascitur simulatione: in puerperio quoque natura harmoniam ubique curans et in sui conservationem intenta, omni sua efficacia processus excitat, fovetque singulares, quibus status hi excessivi et exorbitantes per metamorphosim regressivam componi, exstingui eorumque functio coordinata restitui potest, qui processus itaque, pro summa, qua pollent, dignitate omnem merentur attentionem.

Remedia quibus natura utitur ad exorbitantem organorum sexualium in gravidis vitam post partum intra limites suos coercendam sunt: fluxus lochialis, lactis secretio in mammis, cutis transpiratio adaucta (sudores puerperales).

Per singularem ergo processus vitalis mutationem in puerperio contingentem, necessario praedispositio magna puerperarum in morbos aequae singulares fundatur.

In definitione febris puerperalis verba celeberrimi Carus assequi audeo qui dicit: Das Wesen des Kindbettfiebers besteht in der Störung der naturgemäß in der Periode des Wochenbettes vor sich gehenden Revolution im Innern des weiblichen Körpers: Cui opinioni etiam Siebold consentit.

Tempus quando febris puerperalis intrare solet, circa secundum et quintum diem post partum versatur, rarius mox post partum, rarissime post duodecim, quatuordecim dies, nisi constitutio epidemica eius genesi favet, aut per contagium producitur. Introitus tempus magnum exercere influxum in formam, characterem, decursum et tractandi methodum huius morbi, experientia contestatur nam (febre puerperali epidemica et contagiosa non considerata) omnes hucusque factae observationes in eo conveniunt, morbi huius formam, characterem, decursum et exitum tunc esse purum, genuinum

et substantialem, si primis diebus puerperam adgreditur, ita ut haec febris puerperalis appellari mereatur. Symptomata in abdomine pathognomica caput suum elevant manifeste conspiciuntur, reliqua tamquam accidentalia et coordinata facile cognoscuntur; secretiones puerperales sub morbi introitu in hac periodo de regula turbantur, non deficiunt tamen casus, in quibus regulariter, seu normaliter incedunt.

Quo remotius febris puerperalis a partu sese evoluit, quo magis et perfectius organa sexualia per metamorphosim regressivam ad normalem suam reducta sunt vitalitatem, quo solemnius secretiones perfectae contingebant, eo obscurior erit morbi imago, eo facilius in illius tractatione principiis therapeuticis universalibus locus datur.

Nonnunquam ante partum symptomata febrium diversarum, rheumaticae, gastricae etc. praecedunt tempore partus silent, nihilominus tamen diversas functiones turbant et sic evolutioni febris puerperalis ansam praebent.

## Symptomata sub introitu.

Prodroma nulla agnoscit nisi morbus socius. talia adduceret; sed incipit frigore diversae intensitatis, quo tamen ad morbi vehementiam futuram concludere non licet. Quae tamen conclusio ad morbi gradum majorem ex spasms sub hoc stadio praesentibus vix fallit. (Busch) Tempus frigoris et symptomata adfinia variant. Sequitur aestus sub qua facies rubra, oculi vivaces; aut vultus pallidus et collapsus, ubi plerumque passio eminens in abdomine, aut symptomata nervosa praemature et cum vehementia accedunt. Pulsus est perquam frequens aut plenus, et durus aut parvus contractus duriusculus, mollis tunc si febrim puerperali haemorrhagia praecesserit. Pulsus saepe quoque variat, et in utroque carpo differt.

Sequitur sudor raro universalis, ut plurimum abdomen et extremitates constanter ficcae manent. Appetitus statim primo paroxismo exstinguitur, sitis vero augetur, imo inexplebilis fit in frigidum directa.

Decursus nunc febris puerperalis variat pro diversitate indole quam adipiscitur, ut plurimum cum inflammatione topica, plerumque cum peritonitide aut metritide, rarius cum adfectione aliorum organorum.

Febris puerperalis cum Peritonitide et metritide.

Abdomen plerumque est tumidum, inflatum, meteorice fere extensum, dolorificum dolor hic urens scindens aut in regione ovariorum, praecipue ovarii dextri fixus est, aut per totum abdominis ambitum diffusus saepe adeo vehemens, ut aegrotata non solum nec minimum ferat attactum, sed omnem quoque corporis motum evitet. Dolor hic nonnunquam se ad femora imo supra pectus ad scapulas se extendit, quin inflammationis vestigia in his partibus conspicerentur.

In decursu ulteriori oriuntur singultus, ructus vomituritiones, vomitus ipse et tussis.

Lingua modo est humida et mucro tenui imo crasso flavescente obducta, praecipue si sordes gastricae adsunt; modo sicca, rubra, quasi inflammata, sitis est indelebilis, dentes sunt conspurcate et fuligine nigrescente obducti.

Per emesim plerumque cibi et medicamina, nonnunquam et bilis ejiciuntur, et si inflammatio ad ventriculum usque sese propagaverit, massa quaedam livida, cruenta; rarissime hic vomitus symptomata complicationis gastricae sistit.

Alvus ut plurimum restricta, raro statim ab initio morbi diarhaeae adsunt cum nota gastrica aut putrida. Insequitur in morbi decursu ulteriori alvus fluida serosa insimul cum transpiratione cutis adaucta critica est, et cito citius reconvalescentiam inducit.

Urina de regula quidquam turbida, si major adest inflammationis gradus, flammae nubeculosa, parca; pal-

lida et aquosa si affectio systematis nervosi praevallet, jumentosa in complicatione cum caractere putrido, si crises per illam contingunt, quod saepissime observatur sedimentum exhibet lateritium.

Primam exacerbationem, quae nonnunquam, uti diximus, ob sanguinis ad encephalon congestionem cum deliriis conjuncta est, sequitur magna totius corporis et animi delassatio, et tunc interat altera exacerbatio sine delirio.

Prodeunt nunc in lucem symptomata systematis nervosi affecti, uti sensuum illusiones, floccorum collectio, tendinum subsultus, artuum tremores, sopor, convulsiones. Functio cutis e primordio morbi est turbata, hinc inde sudor in capite collo et manibus, ast sine levamine, apparet; in illa consuetim cum adauctis alviductionibus evacuationes criticae contingunt, quae in sudore largo per totum corpus diffuso nonnunquam in exanthemate miliariformi, quod facile per metastasim cum vitae periculo organa nobiliora petit, consistunt.

Fluxus lochiorum est imminutus, vel plane suppressus, si febris puerperalis mox post partum intrat, eiusdem praesentia ad bona refertur signa. Scitu quam maxime dignum est, an lochia tantum vel reliquae etiam secretiones puerperales suppressae sunt, an plane non vel imperfecte solum intraverint, an jam normaliter fluentes repente suppressae sint. Nonnunquam lochia qualitate mutantur, fiunt nempo magis serosa foetoremque separetia.

Lactis secretio aut plane non contingit, si morbus brevi post partum intraverit, aut jam contingens secretio imminuitur, imo ex integro supprimitur. Licet materialem lactis translationem assumere, crassum redoleat materialismum, functionemque mammae suppressam praecipuam et primam febris puerperalis causam dicere cum Puros, Levret, Deleurye etc. nefas negari tamen non potest, suppressionem functionis huius nonnunquam ad genesim morbi nostri conferre.

Mammae mox post febris introitum minores, flaccidae, collabuntur, parumque aut nihil lactis secernunt. Evacuationes criticae per illas hucusque non observantur, processusque lactationis in stadio reconvalescentiae primum regreditur normalis.

## D e c u r s u s.

Haec febris puerperalis species aut manifestas observat remissiones ita, ut mane post primum paroxysmum, qui fere semper vesperi intrat, aegrae saepius febriles evadant, et sic febris typum magis intermittentem, quam remittentem simulat, aut exacerbatio praecedens in subsequam sine notabili remissione transit; primum plerumque sub initio, alterum sub ulteriori morbi decursu locum habere solet,

Exacerbatio secunda rarissime cum frigore incipiens magnum symptomatum nervosorum inducit augmentum, sub remissione subsequente vires deficere videntur, aegrotae animus dejectus, facies collapsa conspicitur, doloresque in abdomine adaucti deprehenduntur.

Sub exacerbatione tertia symptomata morbosa plerumque acmen attingunt, cutis sicca ardet, respiratio evadit sublimis, citata et brevis, halitus calescit, abdomen valde sensile nec minimum fert attactum; pulsus vix numerandus, parvus duriusculus, nunc morbus consuetim dirimitur, quodsi vero 5. 7. diem prolongetur, tunc aut mitioris est gradus, aut tertia die manifeste remissio adfuit, quam iterum exacerbatio sequitur; raro per 14 — 21. dies durat, si vero morbus hicce recrudescit, utique per longius temporis spatium sese extendit.

Complicatio febris puerperalis cum

Pleuritide, carditide, et diaphragmitide ex symptomatibus localibus facile cognoscitur, difficilius autem cum meningitide, quia symptomata nervosa hic febrim nervosam simulant.



### Phlegmatia alba dolens puerperarum.

Morbus hicce respectu sedis affectionis localis, qua modificata febris puerperalis considerari potest. Intrat plerumque intra 7 — 12. diem post partum, nonnunquam serius; quo magis eius origo a partu sit remota, eo magis morbis puerperarum evadit dissimilis.

Oritur semper cum febris, cuius symptomata illis febris puerperalis sunt similia; Ubi haec femoris affectio sola occurrit, manifeste vicarium inflammationis organorum abdominalium processum sistit.

Symptomata eius characteristicam sunt: dolor in regione inguinali incipiens, et per totum femur se propagans vehemens, intensissimus plerumque tres quatuor digitos infra femoris flexuram; tumor femoris modicus; cutis color plerumque normalis, eius temperatura ad calorem adaucta, functio extremitatis, id est motus, impedita. Malum hocce fixam tenet sedem, et quidem plerumque tantum in femore sinistro, et tunc tumor arctissimis limitibus circumscriptus est.

Stadium inflammatorium per 4 — 7. dies durat et si huc tempore crises non adparuerint, tumor magis intumescit, eius cutis tensa splendet, intumescunt et labia majora, febris et dolor imminuuntur quidem, quin dispareant haec exsudationem jam jam factam testentur, serius otius tumor per totam extremitatem fit diffusus.

Uterior morbi decursus est lentus per menses nonnunquam durans: disparet non raro et relinquit debilitatem, torporem et paralysim.

Naturam morbi in inflammatione consistere nemo dubitat; sed quae huius sedes sit, diversae sunt opiniones. — Quodsi vero consideramus, illas praecipue puerperas temperamenti magis frigidi, constitutionis venosae in hunc morbum praedispositas inveniri, quae prius jam arthritide, stasibus et phisconiis lienis, haemorrhoidibus, catameniorum anomaliis laborabant, causamque occasionalem plerumque esse refrigerium post par-

tum difficilem perpeſſum, quo neceſſario uterus male adſciebatur, receptivitas individui valde angebatur: magna cum verosimilitudine affirmare licet, venas pelvis et femoris affecti inflammatas eſſe cum congeſtione venoſa in crure eodem, unde huius venae turgescunt.

## E x i t u s.

Transit febris puerperalis aut in ſanitatē per reſolutionem, aut in morbos alios per exſudationem aut gangrenam organorum inflammatorum, febris characterem putridum aut nervosum induit, aut ſaepe morte terminatur. Reſolutio contendit per crises, ut plurimum evacuationes alvinae ſeroſae aut ſudores univerſales ſe inſinuant, mammae turgescunt, fluxus lochiorum comparēt. Rarior eſt crisis per urinam, rarissime per ptyaliſmum.

Exitus per exſudationem eſt frequentissimus, inſinuat ſe fere ſemper cum frigore ex abdomine quaſi profluente, intumescit abdomen, fluctuatio tamen nunquam in illo perſentitur, fitque minus dolorificum. Facies collabitur ſingularem ſollicitudinem exprimit, ſudor tenax colliquativus in illa prorumpit, anxietas fit maxima pulſus frequentissimus, conſcientia diſparet, alvi et urinae dejectiones involuntariae ſponte ſua inſequuntur, tandem et mors ſymptomatibus paralyſeos ſtipata. Quodſi translatio paulatim contingit, tunc ſemper gradus mitior processus morboſi in cauſa eſt. Adparent quidem remiſſiones, ſed non diu durantes; aegra ſaepe horripilationes perſentit, pulſus ſemper febrilis, abdomen dolorificum et tumidum manet, lac in mammis, aut non ſecernitur, aut jam ſecretum ſupprimitur. Exacerbationes intensiores fiunt, abdomen in molem magnam increſcit, ſtuporemque per diem nonnunquam durantem, plerumque ſolvit mors. Exſudatum in primo caſu eſt magis ſeroſum, in altero magis putulentum.

Suppuratio et gangrena conſuetis ſymptomatibus. illa febrī ſuppuratoria, haec, quae frequentior eſt, remiſſione omnium dolorum ſe explicat.

Favente constitutione epidemica febris puerperalis in nervosam transit. Symptomata laesae functionis systematis sensiferi, inflammatione adhuc durante, aut ea jam cessante, febris nervosae ingressum annunciant.

Inter perniciosissimas complicationes febris puerperalis pertinet febris putrida, et occurrit tunc praecipue, si haemorrhagiae profusae sub partu praecesserint, si febris puerperalis per longius temporis spatium duraverit, si frusta placentae in utero remanserint. In nonnullis epidemiis febris puerperalis singularis in hanc complicationem observatur proclivitas, praesertim si in repletis institutis puerperis dedicatis contagium se se eolverit.

Omnis fere exitus febris puerperalis, si unicam excipias resolutionem, quam plurimum ad lethem ducit, infelices aegrae plerumque ex paralyti encephali aut pleus solaris animum exhalant apoplectice.

## S e c t i o c a d a v e r i s.

Cadavera mox putredine corripiuntur, vix anima exhalata est, et jam maculae sic dictae putrecientiae numerosiores, intensiores et ampliores in conspectum veniunt; sanies ex omni cavo profluit, sanguis minus plasticus est et resolutus. Pro diversitate affectionis localis, mox in uno alterove organo vestigia inflammationis aut eius producta deprehenduntur. Gastritidis, hepatitidis vestigia fere nunquam desunt. Artresiae variae occurrunt. Memoratu dignissima sunt exsudata diversissimi generis, quantitatis maximae (ad libras etiam viginti) Partes constitutivae exsudationum secundum Jacquin, Hermbstädt, et Kastner sunt Albumen, gelatina, mucus, et materia fibrosa, kali lacticum, phosphoricum, et muriaticum cum pauxillo ferri.

## A e t i o l o g i a.

Constitutio aeris atmosphaerici inflammationibus

favens, feбри puerperali quoque favere in apertum est. Contagium eam provocare posse dictum est.

Praeterea primiparae, individua erethistica, praecipue in hunc morbum dispositae esse videntur. Tamquam causae occasionales in casibus perquam plurimis inveniuntur: refrigerium, animi pathemata, tum depri-  
mentia tum excitantia, quibus harmonia fuctionum facile turbatur. Turbatio, retentio aut suppressio cum adductis causis conjuncta est, ast quoque effectus ipsius morbi esse potest. Vitia diaethetica persaepe ad excitandam febrim puerperalem multum contribuunt, idem valet de abusu purgantium et praeprimis abortivorum sic dictorum, et de qualibet fere irrationali curandi methodo. Ad causas praecipue nocentes pertinent illae, quae uterum immediate adgrediuntur uti: partus difficilis nimis protractus, laesiones uteri per obstetricationem rudem, aut per manus, aut instrumenta incongrua adplicata, violenta placentae revulsio, partes placentae in utero remanentes, et alia.

De Causa proxima diversae opiniones feruntur:

1. Suppressio vel retentio lochiorum, huius sententiae sunt: Hippocrates, Avicenna, Sydenham, Sylvius, de la Motte, Tissot, Boerhave, et alii.
2. Metritis. Huc spectant F. Hoffmann, Tissot, Armstrong.
3. Enteritidem defendunt Hulme et Leake.
4. Peritonitis. Ad hanc sectam referuntur Hunter, Marcus Sprengel, Horn.
5. Inflammatio erysipelacea viscerum omnium abdominalium defenditur per de la Roche.
6. Metastasis lactea. Levret, Sauvage, van Svieten.
7. Sordes biliosae, putridae, mucosae accumulatae, quae vel in primis viis haerent, vel vero sanguini jam admixtae sunt. Th. Cooper, Milar, Stoll, Vogel, Frank.

8. Relaxatio musculorum abdominalium et atonia menti, uteri ac tubi intestinalis, inducta per compressionem nimiam organorum horum ab utero gravido, junctae accumulationi sordium in primis viis: erat placitum Cel. Richter et van Hoven.

9. Regnans constitutio, et individualitas puerperalis Witwer.

10. Inpedimentum liberae circulationis in cavo abdominali, cum digestionem sub graviditate labefactata ac irritatione sub partu adaucta: Rátzky.

11. Metastasis sanguinis, lactis, bilis, puris perspirabilis cutis et sordium primarum viarum ad omenta. Hanc contendit Oslander, qui morbum febrim omentalem nuncupari vult.

Quodsi circumstantias sub quibus febris puerperalis sese evolvere soleat, attente mente pervolvimus, collectis simul omnibus Hypothesibus et sedula observatione sectionum in cadaveribus ex hoc morbo demortuis institutarum patet: naturam eiusdem sequentibus fundari momentis:

1. Alienato statu vitali puerperae adaucta receptivitate praecipue in sphaera plexus solaris sese manifestante.

2. In constantia et debilitate actionis mutuae systematum, organorum et functionum, quae post partum novam et singularem ingrediuntur vicissitudinem.

3. Quantitate et qualitate sanguinis alienata; unde congestiones ad organa disposita secretionesque morbosae, aequilibrium enim paulatim tantum cedit.

4. Harmonia functionum puerperio propriarum sublata turbae inde exortae membranas serosas praecipue petunt, quae cum peripheriam quasi systematis arteriosi sistunt, tamquam superficies secretoriae cum functionibus puerperalibus singularem sustinent sympathiam, unde sedes inflammationis plerumque in illis conspicitur. Uterus, vasa lymphatica, glandulae et venae pelvis quoque facile inflammantur, in quem morbum jam per gra-

viditatem et partum disponuntur, quam maxime vero et saepissime peritoneum corripitur, partim ob nimiam quam perpessum est extensionem, partim ob singularem suam structuram, texturam et consensum vicinorum cum organis abdominalibus tamquam centro et substrato febris puerperalis. Semper magna adest propensio in inflammationes locales, simulque systema nervosum compatitur. Praedispositio haec singularis nonnullorum organorum saepius est causa modificationis singularis morborum aliorum in puerperis occurrentium febrilium.

Ex his omnibus elucet difficultas paucis naturam febris puerperalis definire. Est aliquid singulare in organismo totali aequè singulari.

### P r o g n o s i s.

Sub quacunque forma febris puerperalis adpareat, semper est et manet, morbus perquam periculosus, qui in casibus plurimis ad mortem ducit. Etiam benignissima ejusdem species nonnunquam inopinate funestam inducit faciem. In genere faustior est prognosis in febre puerperali sporadica quam in epidemica, infaustissima in contagiosa.

Quo citius morbus post partum adparet, quo longius natura ejus medico manet occulto, eo minus sperare possumus exitum felicem, is quoque timendus est, si puerpera est debilis, habitus nervosi, si graviditas cum multis molestiis erat juncta, quando partus erat difficilis, et aegra multis curis et animi pathematibus vexatur. De adfectionibus localibus praecipue illae abdominis, capitis et cordis periculum augment. In febre puerperali simplici mors quasi ex abdomine progreditur, quo magis hoc patitur, eo propius instat mors. Cel. Vogel dicit: „Abdomen est centrum, e quo vita exit et mors, quo magis illud est adfectum eo periculosior est morbus.“ Quo magis aegrae facies alienatur, quo minor, frequentior, mollior, et debilior pulsus evadit, quo magis abdomen meteoritice expanditur, quo magis

inquietudo et anxietas augetur, vel stupor observatur, eo magis quoque de vita puerperae timendum est; si paralysis, asphixiae, visus illusio et dejectio, sudores et alvi evacuationes colliquativae statusque putridus accedunt, tunc mors citissime certissimeque sequitur.

Ex defectu graviorum symptomatum enumeratorum, aut ex eorum decremento, exitum bonum praesagire licet.

## T h e r a p i a.

Therapiam febris puerperalis summam evolvere difficultatem ex hucusque dictis patet. Natura in aliis morbis efficax, in hac ob harmoniam profundissime turbatam parum valet.

## P r o p h i l a x i s.

Nulla certa cura datur febrim puerperalem praecavendi, nisi simul praecaveatur graviditas.

Remedia abortiva, purgantia potiora dispositionem in hunc morbum augere cuique notum est. Optime consultum esset gravidis, parturientibus, puerperis, si causas morbum provocantes evitarent, et tam relate ad dietam, quam ad dolorum elaborationem (Das Bearbeiten der Wehen) medico consilio strictè obtemperarent, insuper maximam attentionem mererentur, secundinae et functionum vitalium harmonia.

## Cura therapeutica.

Cura therapeutica sequentibus innititur indicationibus explendis:

1. Causas morbi amovere.
2. Affectiones locales rite aestimare.
3. Symptomata periculosa profligare.
4. Exitus funestos praecavere, jam factos secundum principia medicinae rationalis tractare.

Quoad primam:

Functio suppressa, qua morbi causa debite restituenda est. eg. Fluxus lochiorum suppressus, cataplasmatibus emollientibus, injectionibus tepidis, clysmatibus revocandus est. Si lactis secretio per animi pathemata supprimitur, illam saepissime vasculum infusi Valerianae restituet. Uterus sub partu lacsus, injectiones emollientes, mucilaginosas optat.

Integra placenta aut pars illius in utero remanens citissimam expurgationem postulat.

Saburra gastrica (cujus praesentiam non facile cognoscimus) emetico, aut quod longe praestat, purgante ejiciatur.

Maximum momentum sistunt inflammatio localis intranssudationem pronissima, et febris. Profligantur hae optime sanguinis depletionem, quam universalem Busch vetat, Siebold e contra avide laudat.

In casibus ubi affectio localis magis praevallet, et morbi periculum constituit, sufficit depletio topica ope hirudinum 15—20 ad abdomen et femora adplicatarum, praeterea cataplasmata narcotico emollientia.

Si vero febris characteris inflammatorii simul adesset, basin morbi constituens, tunc certe nec venae sectionem abhorret medicus. Interne ob peculiarem inflammationis nisum in exsudationem optime convenit Calomel, praeterea synapismi ad extremitates, tegumenta modice calefacientia, frequentior neonatis mammis admotio, succus artificialis in uberibus, cataplasmata emollientia in regione pubis, injectiones in genitalia post sanguinis depletionem non negabunt effectum.

Quum erethismus praesertim plexus solaris non solum inflammationi favet, sed sanguinis circulum impedit, ideo remediis prioribus externis et internis addantur narcotica: Aqua Laurocerasi, Hyosciamus, Opium.

Complicationes febris puerperalis peculiarem modificationem mereri in apertum est. De gastrica complicatione dicta sufficiunt, minoris momenti sunt complicationes rheumaticae, catharrhalis, quae vix caput adeo



extollunt, ut speciali therapia adgredi mereantur. Miliaria apparentia therapiam non mutant.

Praecipuam attentionem merentur diarrhoea, vomitus, inquietudo magna et anxietas.

Diarrhoea sub morbi initio occurrens, plerumque per sordes gastricas producitur et cum earum dejectione tollitur is in ultimo vero ejus stadio alvi ejectiones frequentiores plerumque sunt colliquativae et symptoma exitus funesti.

Vomitus sub morbi initio fere semper saburralis cessat, si saburra ejecta est, spasticus potum *Riveri* amat; in decursu morbi saepissime est inflammatorius, hinc in morbi protopathici therapia agnoscit *medelam*.

Inquietudo et anxietas aequae juxta causas suas tractari debent.

Therapia ulterior vicissitudinibus, quas morbus in decursu subit, est adcomadanda; hinc si post fractam inflammationem irritatio et agilitas morbosa status erethisticus remanserit, balnea tepida, extr. *Hyosc.* Aqua *Laurocerasi*, sunt indicata.

Quod diaetam attinet, hanc medicus studio morbo semper adcomodabit, crises et reconvalescentia iisdem inittuntur regulis, uti in aliis morbis.

Febris puerperalis conjuncta cum inflammatione aliorum organorum in therapia universali nullam patitur mutationem; in topica in eo tantum, quod depletio sanguinis localis parti adfectae propior sit. Sic in pleuritide, pericarditide, ubi ars tamen haud multum praestat, in meningitide etc. Etiam phlegmatia alba dolens in methodo antiphlogistica circumstantiis adcomodata *medelam* agnoscit.

Si nulla adesset complicatio topica, tunc majori eum audacia venae sectiones institui possunt. Interne Nitrum et Calomel merito laudantur. Status vero erethisticus, et functionum harmonia, semper respiciatur.

---

## **T h e s e s .**

---

1. Anatomiae studium, ad medicinam, sum-  
opere vero ad chirurgiam est necessarium.

2. Bilis secretio praecipua, sed non unica  
hepatis functio.

3. Lingua sicca arida, valida feбри praesente,  
si nulla adsit sitis, est ominosissimum symptoma.

4. Sectio caesarea nonnunquam unicum sistit  
auxilium, vel matris, vel infantis, aut utri-  
usque vitam servandi.

5. Febris intermittens, ad neuroses spectat.

6. Narcotica ad stimulantia positiva referri  
non possunt.

7. Reclinatio cataractae non constituit curam  
radicalem.

8. Corpora ita dicta anorganica vivere, de-  
monstratur luculentissime per chemiam.

9. Morbi animi multo melius sanantur psy-  
chicis, quam pharmaceuticis remediis. —

10. Non existit morbus intermittens. —

11. Esset optandum, ut parentes in educa-  
tione prolium medici consilium expeterent.

12. Civitates magnae, et hiems favent phthi-  
si palmonali.

